

**Dissertatio medica inauguralis, de rheumatismo ... / eruditorum examini
subjicit Ludovicus Powell.**

Contributors

Powell, Lewis, 1797-1867.
Woodforde, James
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Edinburgi : Excudebat Joannes Moir, 1823.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/knvwgkz7>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



4.
DISSERTATIO
INAUGURALIS

DE
RHEUMATISMO

VEL
ASSUENTE SUMMO
ET ACCURATE REPERTO

D. GEORGII BAI
ACADEMIE EDINBURGEN.

RECTORI
ACADEMIAE SENATUS ACADEMICI
NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICINAE

Pro Gradu Doctoris

ACQUIRIT IN MEDICINA HONORIS
SIVE ET LEGITIME CONSPICUO
EXAMINE

LUDOVICUS P
CAMERO-BRITANNICUS

AGRI. AN. MED. EDIN.

Partis quae proponitur
Partis quae accipi solent

Kalendis Augusti, hora loca

EDINBURGI:
EXCUBENT JOHANNES M
MDCCCXXXIII.

(47)
DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,

DE

RHEUMATISMO:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

LUDOVICUS POWELL,

CAMBRO-BRITANNUS;

SOCIET. REG. MED. EDIN. SOC.

Partim quae perspexi his oculis,
Partim quae accepi auribus.—TER.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

DISEASIS INDICA

IN OBTINENDIS

DE

RHEUMATISMO

DE

ARTICULIS

ET

D. GEORGI BAIRD, S. T. P.

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

AND

PHYSICIAN TO THE HOSPITALS

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

AND

PHYSICIAN TO THE HOSPITALS

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE HOSPITALS

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE HOSPITALS

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE HOSPITALS

PHYSICIAN IN CHIEF

OF THE HOSPITALS

OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

AMICO

ET

CONSANGUINEO CARISSIMO

LUDOVICO WATKINS,

COLL. REG. CHIRURG. LOND. SOC.

LUDOVICUS POWELL,

SALUTEM.

Tibi, care Consanguine, quantas debeo grates, ob paternam fere curam, qua me fovisti et bonis artibus instituisti, vix opus est mihi profiteri. Hoc tamen animi in te grati et amoris sinceri testimonium, quamvis tenue, accipias oro. Diu vivas et valeas, laetus tuis monibus intersis, auraequae felices tibi semper afflent, spero, et imo pectore voveo.—VALE.

TESTAMENTARY
WILL
OF
JAMES WOODFORD
ESQ.
OF
THE COUNTY OF
MIDDLESEX
IN
WITNESS WHEREOF
I have hereunto set my hand
and seal the day and date
first above written.

James Woodford Esq

With the sincere regards of
The Author -

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

RHEUMATISMO.

AUCTORE L. POWELL.

DE RHEUMATISMO, tam Acuto quam Chronico, in animo memorabiliora volutans, tractationem ejus, licet breviter, modo cujus sequitur expositio, perficere statui :

- 1^{mo}, Vero, Generalia quaedam praedicere,
- 2^{do}, Historiam tradere,
- 3^{tio}, Causas exponere,
- 4^{to}, Diagnosin facere,
- 5^{to}, Modos sanandi vel levandi varios recensere, melius visum est.

I. *Generalia de Rheumatismo quaedam*—Antiquis proculdubio bene notus fuit Rheumatismus, scilicet cui eodem in priscis temporibus causae excitantes quae in recentioribus.

Inter hunc morbum et alias articulorum affectiones dolorosas nullum existere discrimen et utroque igitur generi remedia eadem aptata crediderunt. BOTALLUS prior, nomine distincto et proprio dato, ab aliis segregavit: BALLONIUS bene naturam ejus intellexit; a SYDENHAMO nostro historia ad amussim tradita est. Ab hujusce tempore auctores non perpauci, nec ingenii vilioris, sententias de sede ejus, de causâ proximâ, modoque tractandi diversas finxerunt. Ob rigorem ejus, et qui comitatur dolorem, medici animis attentis perspexerunt; et ob has causas maxime de eo disputatum fuit, scilicet causa ejus proxima, simul atque modus varii per quos aut pelli aut levâri potest, diversim a diversis tractatum acceperunt.

Unaquaeque fere orbis terrarum regio huic

morbo obnoxia est, praecipue vero quae quod ad aëris statum nunc frigidi nunc calidioris, mox etiam humidi, mox iterum siccioris, subitas mutationes subit. Hinc vero in insulansicut etiam in locis maritimis vel mari propinquioribus, tam frequenter sese ostendit; nam hisce mutationes, ex quibus modo pendet morbus, ob causas nec latentes nec dubias, saepissime et graviter contingunt.

Juniores et aetate proveciores raro aggreditur, nec tamen juvenes nec senes ab eo prorsus soluti sunt, uti docet experientia. Mares paullo libentius quam foeminas adoritur, quod ex illis causis excitantibus multo gravius quam hae sese necesse permittentibus oriri videtur. Secundum Doctoris HAYGARTH aestimationem inter has et illos accedit ratio qualis ad quatuor tria.

Temporibus vernis et autumnalibus multo quam in aliis frequentior est Rheumatismus. Hoc ut videtur, nec minus e tempestatis na-

tura maxime variabile pendet, quam ex horum optime ad qui sequuntur effectus compescendos aptatorum neglectu; scilicet vestium convenientium defectu, circumspicendi tempestatis intemperiei sese afferentium praetermissione.

In duas species a CULLENO perillustri distributus est Rheumatismus: in *Acutum* scilicet et *Chronicum*. Harum prior ab illo ita definita est: “ Morbus ab externa et plerumque evidente causa, pyrexia, dolor circa articulos musculorum tractum sequens, genua et reliquos majores potius quam pedum vel manuum articulos infestans, calore externo auctus.” Rheumatismus vero Chronicus descriptionem specificam sequentem exceptit: “ Post rheumatismum, nisum violentem, vel subluxationem, dolores artuum aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati, artus debiles, rigidi, facile et saepe sponte frigescentes, pyrexia nulla, tumor plerumque nullus,” “ Lumbago,” additur quoque, “ et ischias aliquando morbi acuti, sed

“ cum saepius chronici sunt, plerumque ad
“ hunc locum pertinent.”

*SYMPTOMATUM DESCRIPTIO, SIVE MORBI
HISTORIA.*

CUM plerisque symptomatibus quae phlegmasiarum ordinis morbos reliquos comitantur, lassitudine, scilicet, rigoribus, horrore frequenter cum vultûs suffusione alternante, appetitus cibi defectu, siti, inquietudine, et per totum corpus angoris sensu, febre simul comitante, ingreditur Rheumatismus.

Ingravescente morbo, symptomata jam tradita statim increscunt; et horis praeterlapsis duodecim vel viginti quatuor, Rheumatismi vere Acuti signa constituta sese ostendunt. Ex doloribus maxime gravibus constant haec, circa articulum quemque majorem sedem capientibus, vel etiam plures invadentibus. Membra inferiora priora communiter afficiuntur,

incipit in his per ruborem et tumorem partium affectarum morbi impetus, nec vero fert uter rationem satis magnam ad dolori pertensionem, secundum musculorum tractus tendentis, sub motu sive pressione vel levissimis augescenti.

Hinc per angorem maxime irritatus aegrotans, inquietus fit, nec in eodem vel per breve temporis spatium situ sese tenere potest. Accedit cutis calor multus, saepe per sudationes profusas ad finem perducendus. Pars laborans tamdiu siccam et callidam sese tenet; lingua villosa fit, primo albida, sensim fuscens, et denuo quasi tunicam induens. Sitis invadit impatientis, intestinorum oritur constipatio, urina multo minor quoad quantitatem quam debet, colorem rubicundum induit. Recedente vero morbo, sedimentum lateritium ab hâcce deponitur, sudationes universales obrepunt, et leviter soluta est alyus.

Metastasis.—A manu medici incaute admota, vel ab aegro se imprudenter gerente, vel

a corporis etiam temperatione peculiari, in quibusdam accedit exemplis, quod symptomata morbi subito externas indicationes attollentia, in organum aliquod internum sese projiciunt, sicut cor, pulmones, cerebrum, et quamvis minus frequenter, ventriculum, unum sive plura horum, et saepe, ut in nonnullis exemplis quae mihi videndi occasio fuit, continuata serie aggredientia.

Cordis hujusce morbi translatione correpti, signa notabiliora sunt dolores pungentes a mediastino ad cordis regionem usque tendentes, cordis ipsius motus abnormes, (palpitationes vulgo dicti,) arteriarum carotidearum pulsationes manifestiores pulsus interdum plenus et validus, saepius vero acutus et abnormis, animi defectione diu superveniente, tussis cum spiritu difficili simul comitante. Si haec non cito tollantur symptomata, sequuntur artuum inferiorum oedema, et signa hydrothoracis, mali quod demum vitam prorsus extinguit. Cadavere secto, cor plerumque valde ampliatum invenitur, haerente et densato peri-

cardio, et seri effusiones inter hoc et cor ipsum, sicut et lymphæ coactæ depositiones videntur. Ad caput Rheumatismi translatio, per signa sequentia indicare solet, cephalalgiam, vertiginem, visus subitaneum defectum, arterias carotidæas et temporum subsilientes, et, redeunte vespere, delirium. Si morbi status hicce perniciosus non cito tollatur, seri in cerebri ventriculos effusio, et necesse mors ipsa demum sequuntur. Diaphragmate affecto, superveniunt hujusce spasmata organi, spiritus valde difficilis, vultus anxietas, manifesta musculorum rigiditas, et dolor crucians; et morbi e hoc statu ad mortem quidem repentinam transitio verenda sit. Rheumatismi metastasium hæc multo quam alia frequentius accidere dicitur. Rheumatismi in alias partes per metastasin transitio, secundum organorum quæ afficit variam naturam, symptomata varia manifestare debet.

Rheumatismi Chronici Signa.—Rheumatismi symptomata Chronici multo minus definita. Habitu corporis debiliore, acutum graviozem

vulgo sequitur. Dolor qui comitatur maxime premit, et quidem ex hoc constat constantissimum et notissimum ejus signum. Ne quidem ac in acuto, qui calore levare solet, tempestatis frigido et humido statu intenditur, ut quoque motu nimio vel etiam minimo. Chronici doloris est ab imo ad alterum articulum facile pervagari, sine tamen inflammatione vel febre intensis ortis, simultamen partibus aliquando affectis aggressionibus iteratis sub accessu frigoris et humoris obnoxiiis restantibus. Huic accedunt plerumque debilitas et oedema, simul et musculorum contractio spasmodica, membrorumque frigiditas quaevis. In hoc morbi statu inter organa ciborum concoctioni inservientia, dum munera solita ob morbum quemvis leviozem non rite perficiunt, et unamquamque partem Rheumatismo correptam, sympathia vel consensus manifestim percipitur. A motu nimio, scilicet exercitatione qua corpore adhuc sano ad valetudinem secundam conservandam juvat, multum intenditur haec sympathia morbosa, et muscoli demum per inactionem soluti fiunt, et toros quibus valetudine

felici gavisum est, quodammodo perdit membrum. Exacerbationes dolorum nocturnae saepe accidunt, comitantibus simul sensibus pungentibus, quasi exurentibus, irruentibus, per nervos majores vagantibus, ut in sciatico magno et nervo crurali antico saepe fit, in quo exemplo dolores e lumbis ad genu gradientes prorumpunt. In morbi statu magis adhuc chronico, tametsi dolores interdum intenduntur et sensus nascuntur pungentes, musculi et tegumenta pressuram modicam sane patiuntur, et ne quidem sine levamine quodam, si non supra nervos ipsos facta sit. Morbo per longum temporis spatium persistente, unus vel articuli plures rigidi fiunt, per malum quod ankylosis vocatur, ex ligamentis et membrana synoviali incrassatis originem ducens, ut in genibus, cubitis, et carpis praecipue videri liceat.

Si Rheumatismo afficiantur musculi et expansiones tendineae quae circa lumbos copiose inveniuntur, nomen Lumbaginis audit malum. Hujusce morbi varietatis incommoda majora

sunt dolor acutus et modus quo trunci corporis motus graviores impediuntur.

DE RHEUMATISMI CAUSIS.

Causa Praedisponens.—Nonnulli, Rheumatismum in una eademque familia per multorum seriem annorum, grassantem percipientes, malum a fabrica corporis haereditaria pendere crediderunt. Evacuationes praeter solitum minutae vel prorsus repressae, corporis habitum pleniorum inducentes; vita quoque otiosa, pabulo nimul non deficiente, et quicquid denique systema subito debilitat, ad Rheumatismum Acutum gignendum praedisponunt.

Causae Excitantes.—Inter has recensentur praecipue, frigoris et caloris vicissitudines subitaneae, praesertim humiditate conjunctae, ut si aliquantum exercitatione aliquis calefactus, in vestimentis madidis dui permanserit, vel si sub aperto coelo, somno praesertim obrutus, nocturno aëre percussus fuerit. Temporis

quod inter causam excitantem genitam et indicationes morbi patefactas venit spatium, ab horis perpaucis ad dies aliquot variare solet.

De Causa Intima Morbi.—Causa morbi hujusce intima, ut opinantur pathologici quidam scriptores, ex inflammatione in musculorum expansionibus tendineis, et in membrana ista per quam adnectuntur articuli structurae diversae, et quae in partes tenditur vicinas, constare videtur species, quae vulgo post acutum adori-
tur, chronica, et quam comitatur dolor acutus, qui fabricam totam per irritationem localem corripit, ab inflammatione subacuta pendere videtur. In hac specie, tono, uti dicitur, vasorum sive vi obrutente, ab actione praeter solitum quae progressa fuit aucta, nunc fit eorum distensio, et hujusce indicationes a tumore et partis laborantis tumore praebentur. In quibusdam exemplis, ubi premit dolor pertristis, vasa minuta in membranâ istâ praetenui, *neurilema* dicta, qua obducuntur nervi, dispersa, inflammationem sive actionem morbosam aliquem pati, credere induci possumus.

DE RHEUMATISMI DIAGNOSI.

Rheumatismi Acuti Diagnosis.—Pauci existunt morbi loco quorum ponendus sit Rheumatismus acutus ; solertibus et peritis errores in hac re raro accidere possunt.

Podagra sese per articulorum inflammationes manifestans, hujusce quodammodo similitudinem habet. Sed tamen rite perpensis corporis temperatione et habitu, simul ac organorum concoctioni inservientium statu qui praegressus est morbo, in podagrico malo tam manifesto, facillime describi potest disjunctionis linea. Ad diagnosin quoque formandam, causam praegredientem excitantem bene agnoscere utile erit. Saepe cum eruptionibus cutaneis alternat Rheumatismus, et ob hanc causam in hujusmodi exemplis *Rheumatismi Scorbutici* nomen pridem agnovit.

Rheumatismi Chronici Diagnosis.—Malum cujus similitudinem majorem habet Rheumatismus Chronicus, ex affectionibus syphiliticis, quae corporis fabricam quasi intimam corruerunt constat. Dolores syphilitici quidem calore praesertim lecti nocturno, augeri solent, qui Rheumatismum vero comitantur dolores calore levantur; hinc distinguere haud difficile est. Doloris sedes quoque non eadem est in duobus hisce morbis; in syphilitide ossa media et periostaeum eorum afficit, in Rheumatismo vero articulos et musculorum fines tendineas, uti in muscoli deltoidei finibus tendineis facile visum est.

Lumbaginis Diagnosis.—Mala quae cum lumbagine confundi potuerint, ex renum affectionibus dolorosis, varias agnoscentibus causas, constant. In illo veruntamen, dolor non per vasorum urinam deferentium cursum tendit, nec a testiculo retracto comitatur, nec quidem externa pressura multum augetur; porro nec adest vomitus, nec urina quoad mo-

lem sive naturam mutationem ullam, licet manifestiorem subit; in his vero haec omnia non ita se habent, quippe quae in renibus inflammatione correptis, vel alio modo affectis, symptomata vel segregatim vel conjunctim semper adesse videntur.

DE MEDENDI RATIONE.

In Acuto.—Sub initio Rheumatismi Acuti, vel progressu quodam facto, antiphlogistica remedia sola uti queant. Si aegri habitus plenus, et temperatio sanguinea, si pulsus ejus sit durus, plenus, et celer, dum adsint aliae pyrexiae symptomata, sanguinis e brachio abstractio deferri non debet; hujusce autem molem aegrotanti habitui et symptomatum vi apte accommodare medicum oportet. Si dolor localis et partium laborantium inflammatio praegravis premant, sanguinis per hirudines abstractio saepe commodum manifestum fert, vasculis scilicet depletis, et distentione par-

tium minuta. Venae-sectione absoluta medicamentum laxans, nec tamen ardens sed potius lenis et refrigerans, sicut Sulphas Magnesia adhibendum est; et solutio alvi ita conservanda ut detur excremento bis vel ter indies transitus. Medicamenta purgantia vero acrisive drastica, per commotionem continuam quam excitare solent, molestia premunt, nec periculo prorsus carent, dum aegrum tam frequenter frigori se subicere compellunt. Multi videntur Rheumatici quorum sanguinis emissio dolorem nequaquam levat etiam copiosa; alii levamen non nisi post dies duos vel tres inveniunt. Venae-sectione igitur ne diuturna medicum uti decet, quasi morbum temporis progressu certo solvere expectaret, nam perniciose insequi solet debili ratio, uti a meipso etiam visum est in pluribus ubi sanguis emissus ultra uncias centum et viginti intentus fuit. In hujuscemodi exemplis usui Calomelanos, Digitalis, Opii, &c. aliisque quae vulgo adhiberi solent remediis fidem dare melius foret.

Diaphoretica.—Diaphoretica adhiberi decere monent cutis calor perauctus, doloresque locales. Ad sudores excitandos Pulvis Ipecacuanhae compositus, in dosibus ex granis quatuor vel quinque constantibus, sub quarta quavis hora, dari liceat; vel in granorum decem dosi, ad decubitus tempus solitum, adhiberi possit, actione ejus potibus calefactis diluentibus adjuta. Haustus salinus, adhuc effervescens, ad hanc finem quoque perducendam, adhiberi potest, nec sine comodo, nam medicamentum et gratum est et efficax. Sed tamen diaphoretica nimis incaute adhibita, aegrum debilitant, et morbum protrahunt, inducto scilicet chronico ejus statu. Colchico autumnali vires mirae medicinales nuperrime tributae fuerunt, et viribus specificis sive propriis quoque a quibusdam gaudere creditum fuit. Monente experientia, de efficacia ejus ne tam benigne animum habeo, praesertim sub initio morbi et corpore adhuc non per sanguinis emissionem ab actione ejus aucta soluto. Hujusce effectus minime regulares sunt, sed dum pro emetico, purgante, vel

diuretico medicamine dari liceat, tametsi acri vi quoque anodyna quavis gaudet; quandoquidem vero, causa corporis habitus peculiaris, idiosyncrasiam technice nominati, effectus ingratos vel etiam perniciosos, nauseam, vertiginem, aliosque excitat.

Morbo adhuc acuto, venaesectione et diaphoreticis adhibitis, et quidem sine levamine, cinchona, quae a pluribus nec immerito laudatur, saepe morbum tollet.

De Victu sive Diaeta.—Victu antiphlogistico necesse uti est, pulmento scilicet tenui, ptisanitio hordeali, lactis sero, succo limonum mixtis, stimulantibus simul, liquoribus praecipue fermentatis, et animalium carnibus caute vitatis. Corporis superficies ab aëris frigidioris contactu studiose defendi debet, nec tamen ut saepe fit, sub vestimentis cubicularibus obrui decet, sed aëris ambientis calor circa gradus 60° Fahrenheitii tenendus, et sic aegri dolor consolando quodammodo levare potest; et corpus

ejus ad recipienda medicamenta nostra maxime aptatur.

Metastasis Tractatio.—Si adorta fuisset metastasis, quae semper perniciosa et strenue praecavenda, in venaesectione liberiori spem ponere debemus; dum quoque inflammationem reducere localem, a stimulantibus, sinapis scilicet cataplasmate, parti quae laboraverat, admotis, niti utile erit. Vesicatoria quoque supra parte nuperrime inflammatione correpta magno sunt commodo, scilicet ad cutem humores attrahunt. Si translatione affectum fuerit cor, et hujusce organi irritabilis nimis excitata fuerit vis, ad actionem abnormem minuendam maxime valet Digitalis pulvis. In adhibendo tamen hocce medicamento, manum caute movere necesse est; nam ventriculum perturbare haud raro accidit, nausea scilicet inducta, vertigine simul comitante, et effectibus aliis quae narcotica majore quam debet mole adhibita sequuntur. Modus adhibendi tutior est, in dosibus pulveris grani unici, cum granis Submuriatis Hydrargyri duobus et opii

unico admisti, dare, quae ad horam octavam quamque, donec effectus manifestiores redditi fuerint, post quod tempus vero, non amplius adhibendum est medicamentum.

Ad febrem minuendam Tartras Antimonii pluribus medicis nuper fuit laudata.* Setaeum quoque supra cordis regionem, DAVIDO DUNDAS Equite consiliante, saepe auxilium praebebit.

Rheumatismi Chronici Tractatio.—Ad chronicum sanandum, modum penitus mutare necesse est: morbo nunc naturam magis localem induenti, remedia quoque localia magis aptata habentur. Variat tamen in singulo quovis exemplo tractandi modus, secundum mali intensiorem et aegri temperationem. Sanguinis per hirudines ex locis educere affectis, vel etiam per venaesectionem praesertim si adsint irritatio gravior, sive ligamentorum et articulorum membranarum tumefactio major, in quibusdam utile erit exemplis: emissionem vero

*Vide Medico-Chirurgical Transactions, Vol. I. p. 57.

peracta, vesicatoria saepe commodum adferunt remedia. Partes vesicatas cito persanare, et iterum medicamenta eadem adhibere, quam ad continuo irritandas, et humoris defluctionem faciendam, unguentum Sabinae sive Lyttae applicare melius est.

Vesicatoria quoque partibus ipsis, saepe ad dolorem levandum utilia. Fluxiones etiam humorum artificiosae vasorum plenitudinem minuunt, et sic prosunt. Hydrargyri Submurias cum opio mistus, a quibusdam, ut dicunt, scriptores, admotus, specifica quodammodo actione gaudet. Fomenta calida sive aquae calidae supra partes laborantes effusis, a nonnullis commodum non minimum inferre dicuntur, et per vasa solvenda et irritationem levandam agunt. Vapores quoque aquae calefactae loco quovis per fistulam dirigere fas sit. Balneum vaporarium nuperrime laudatum, et cum manifesto commodo in usum adductum est; a quo vero artificio calor major applicari potest, et quidem per longius quam aliter temporis spatium. Post balneum adhibitum, bene frican-

dum est corpus universum, quod sine incommodo nunc fieri potest, partibus scilicet laxatis et solutis. Frictione facta, exercitatione per ambulationem, ad fatigationem leviolem usque inducendam, uti queat aegrotans; et nunc vero, corpus vestimentis laneis, vel pelli levissima ista (*chamois* dicta,) indui decet. Vestis laniaria ad cutem ipsam applicanda est, vel modo, quod commodum magnum fert, pannus lanarius mollis, circa partem laborantem arcte ligandus est, in modo quo uti monet medicus Edinensis BALFOUR.

Modus tractandi, quem supra posui, ad tempestatem frigidiorlem solam aptatus; in calidioribus vero mutari debet, vestitûs scilicet partibus focillantibus gradatim sepositis, donec ad coeli temperiem aptatur corporis calor. Sub aestate, frigidarium, sicut et balneum pluviale, maxime conveniunt, et sane plus quam alia remedia tentationes morbi futuras praecavent. Nec vero nimis audacter in usum accipere commodum est, sed aquae calore sensim minuto, corpus majus quam aliter frigus patitur. Post balneum, fricatio et exercitatio.

Si per longum permansisset morbus, et partes affectione maxime vexatae frigidae factae fuissent et se contraxissent, debilitato simul corpore universo, et dotibus ventriculi et organorum concoctioni aliorum inservientium quodammodo vitiatis, remedia roborantia et quidem stimulantia prosunt. In his vero, ut in aliis exemplis, mutationes tractationis subitae periculum inferunt. Cinchonae corticis decoctum, Hyoscyamo sive anodyno quovis alio leni admistum, commodum inferre solet. Solutio Arsenicalis, ad Rheumatismum chronicum levandum, apte adhiberi potest, sed forsitan ad intermittentem sanandum potius prodest. Tincturam quoque Guaiaci Amoniatam, in dosibus ex drachmis unicus vel binis constantibus, ingrediente nocte, adhibitam, effectus valde fructuosi haud raro sequuntur. Artubus contractis, et articulis eorum rigescen- tibus, fricatio cum substantiis ruborem exci- tantibus, Terebinthinae scilicet oleo, Aethere Acetico, Camphorae Linimento cum Lyttae Tinctura et Opio conjuncto, levationem faciunt.

Fluidum Electricum et Galvanicum quoque in exemplis diutinis prosunt. Moxa etiam, dolores diu et pertinaciter manentes, levare solet; et in Morbo Sciatico, non sine comodo manifesto admota est.

Dum his diversis medicamentis morbum fugare tentatum est, cibus ad normam ducendus, et secundum corporis vires et ventriculi aciem, rationem ejus ordinare oportet. Aegri autem habitus ne quidem nimis depleri tutum est, et diuturnum cibi vegetabilis usum sequitur ventris flatus. Si ad cibum ex carnibus confectum decurratur, mutationem ne subitanam esse oportet, pulmentis et jusculis primis datis, nec unquam substantiis quae calorem excitant, praesertim liquoribus omnibus fortioribus. Alvus quoque in hoc, ut in aliis morbis, ad statum sano propinquantem ducenda est, et magis soluta quam lenta tenenda; nam ad mala omnigena corpori contingentia vel sananda vel levanda, nullum invenitur remedium melius quam alvi ordinatio aptatum.

ERRATA.

In Ded. last line but one, *pro* monibus intersis, auraeque,
lege omnibus intersis, auraeque.

P. 7. lin. 17. *pro* dien, *lege* dein.

11. lin. 11. *pro* nimul, *lege* simul.

20. lin. 9. after praebibit, insert.*

Fluidum Electricum et Galvanicum quoque in exemplis diutinis prosunt. Moxa etiam, dolores diu et pertinaciter manentes, levare solet; et in Morbo Sciatico, non sine comodo manifesto admota est.

nec unquam substantiis quae calorem excitant, praesertim liquoribus omnibus fortioribus. Alvus quoque in hoc, ut in aliis morbis, ad statum sano propinquantem ducenda est, et magis soluta quam lenta tenenda; nam ad mala omnigena corpori contingentia vel sananda vel levanda, nullum invenitur remedium melius quam alvi ordinatio aptatum.

FINIS.



